



ANNALES ECCLESIASTICI.

I.
(a) Genes. I.
Prælocutio.



Um rerum omnium conditor & moderator Deus cælum (a) creasset & terram; nec ulla utriusque gratia vel pulchritudo inesse posset sine luce; omniaque essent tenebris obvoluta, ipsaque terra inanis & vacua: opportune consuluit, ut primum omnium ipsius rerum principiis lucem crearet, cujus fulgore tam quæ facta essent, quam etiam quæ essent facienda, velut quodam claritatis & gloriæ indumento circumamicta, naturali suo splendore nitescerent. Hæc autem cum in Orbis institutione sint facta: rursum cum tempus advenit, in ejusdem restitutione sunt feliciter adimpleta. Cum enim universo humano generi, peccati culpa, sempiternæ noctis esset offusa caligo, cunctaque undique densis tenebris obscurata, & squallens horrensque esset omnium rerum facies: immensa suæ bonitatis largitate prospexit Deus, ut nova luce cuncta perfunderet, mitteretque ex se genitum, suæque substantiæ Filium, ipsum cælesti jubar, candorem (b) lucis æternæ, lumen de lumine, lucem (c) veram, justitiæ (d) Solem; novumque institueret diem, illum scilicet, de quo olim est prophetice dictum: Hæc (e) dies, quam fecit Dominus. Cujus cum jam
Ann. Eccl. Tom. I.

(b) Sap. cap. 7. & Symb. Nicæni.
(c) Joan. 1.
(d) Apoc. 1.
(e) Psalm. 117.

crepusculum & auroram præfati sumus; quod reliquum est, ipsum Solem orientem spectemus, eundemque apposite levi nube contectum, quo minus aciem oculorum perfringeret, & dispensationem implere posset, quam consummandam acceperat. Age nunc, Verbum ipsum carne velatum, Deum hominem factum, e Virgine sanctissima natum spectemus; atque de ipso, quæ in primis Evangelista nos docuit, enarremus.

II.
Nativitas Domini.

Cum igitur (quod ante diximus) edito cogente, e Nazareth Galilææ in Bethlehem Judæ Joseph atque beatissima Virgo Maria, ut profiterentur, ascendissent: Factum est, inquit (f) Lucas, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret: & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat eæ locus in diversorio. Hæc Evangelista. Quod in primis ad locum ipsum, ubi Christus est natus, pertinet: spelunca fuit in suburbiis Bethlehemiticis posita, de qua (g) Origenes contra Celsum scribens, hæc ait: [1] Quod autem in Bethlehem sit genitus Jesus, si velit aliquis post Micheæ vaticinium & post Evangelii per Jesu discipulos conscriptam historiam fieri alius certior, intelliget ut subsequenter in Evangelio, cum ejus nativitas enarratur, & in Bethlehem speluncam
A ostendit.

(f) Luc. 2.
(g) Orig. lib. 1.
De spelunca Bethlehemitica.

[1] Quod autem in Bethlehem sit genitus Jesus &c. Vide Henricum Spondanum in Epitome Annalium ad hunc locum. Vide etiam Petri Danielis Huetii Demonstrationem Evangelicam Propositione IX. Cap. IX. pag. 380. primæ editionis. Adi etiam, si lubet, Exercitationem II. Francisci Mariæ Florentinii in Martyrologio Hieronymiano pag. 195. De Natalis Domini celsitate, ejusque origine ac pervigilio.